

III. Ab omnipotentia Dei tam formaliter quam materialiter contradictoria in actum deduci posse, asserit *B. Hülfem. in Vindiciis testimonior. S. Script. hactenus MS.* idque probat in genere ex *Luc. I. 37. Apud Deum non est impossibile omne verbum;* & in specie per Exemplum Deiparæ Virginis. Quæ sententia ejus intelligenda est de contradictoriis, non in se sed respectu nostri talibus. Nam expressè d. l. $\tau\theta$ impossibile refert ad rationem & sensum humanum. Talia verò non sunt verè, sed apparenter contradictoria; sicut ex allegato exemplo: Nulla virgo parit; Et: Quædam virgo parit, constat. Modus enim variat, cum Nulla Virgo pariat naturaliter: Quædam pariat supernaturaliter. Idem autem Modus inter requisita legitimæ contradictionis vel primo loco ponendus est; tantum abest, ut ejus ratio non sit habenda. Hinc iniqui fuerunt in Optimum Theologum Cavillatores, qui hanc ejus sententiam, ad imputandam ipsi aliquam in Philosophia ignorantiam, de contradictoriis omni ex parte verè talibus exposuerunt.

IV. Optimè incarnatio Filii Dei & absoluta divinæ naturæ simplicitas consistunt. Duæ quidem Metaphysicorum sunt sententiæ, quando in doctrina de simplicitate incidunt in illud mysterium. Ambæ tamen incarnationem cum simplicitate conciliant. Nonnulli enim in mysterio incarnationis compositionem quidem admittunt, sed *cum* aliquo, non *ex* aliquibus. Illam verò cum simplicitate non pugnare, præsupponunt, & aliquo modo in anima humana ostendunt, quæ simplex (in suo genere) manet, etsi cum corpore componatur. Alii malunt de incarnatione terminum unionis quam compositionis, etiam ejus quæ cum alio est, adhibere, loquentes diversum, idem sentientes. In his *ἀνεξέσαστα*, & veritas in utraqve sententia, nobis perplacet.



Coll. diss. A. 1, misc. 65